Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



discipuli: si dilectionem habueritis ad invicem. Dicit
ei Simon Petrus. Domine: quo vadis? Respondit Jesus.
Quo ego vado non potes me modo sequi: sequeris
autem postea. Dominica v post pasc. Introitus
Voce jucunditatis annuntiate et audiatur: alleluia annuntiate
usque ad extremum terre liberavit dominus plebem suam alleluia
alleluia. Ps. Jubilate deo omnis terra psalmum dicite nomini eius date
gloriam laudi eius. Collecta. Deus a quo bona cuncta
procedunt: largire supplicibus tuis: ut cogitemus
te inspirante que recta sunt et te gubernante ea
dem facere. Sequentia epistole beati Jacobi ap. Estote factores verbi et non auditores tantum fallentes
vos metipsos: quia si quis auditor est verbi et
non factor: hic comparabitur viro consideranti vultum
nativitatis sue in speculo. Consideravit enim se et
abiit et statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem
prosperit in lege perfecte libertatis et permanserit non
auditor obliviosus factus: sed factor operis: hic be-
atus in facto suo erit. Si quis autem putat se religi-
osum esse non refrenans linguam suam: sed seduc-
ens cor suum: huius vana est religio. Religio munda
et immaculata apud deum et patrem hec est: visitare
pupillos et viduas in tribulatione eorum: et immacu-
latum se custodire ab hoc seculo. Alleluia. Pascha nostrum. Alleluia
v. Oportebat pati xpm et resurgere a mortuis et ita intrare
in gloriam suam. Sequentia. Laudes salvatori. Sancti Johannis
Evang. Dixit d. i. d. s. Amen amen dico vobis
si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis
usque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite
et accipietis ut gaudium vestrum sit plenum. Hec in
proverbiis locutus sum vobis. Venit hora: cum iam